

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO, QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXIII.

M. PETRO-JOSEPHO MORISOT DESLANDES, Doctore Medico, Præside.

An siccitas aëris Parisini salubris, Si diuturnior insalubris?

I.



NTIQUISSIMA Parisiorum urbs Lutetia, vigesimo longitudinis gradu posita, latitudinis 48 cum 50 minutis, cœlo clementi, & temperato fruitur, teste Imperatore Juliano, cognomine Apostatâ, qui ibì hyemem, utpotè mitiorem degebat. Alveis hinc indè Sequanæ velut ambabus ulnis quondam in cunis presè capiebatur. Posteà Imperatorum complurium, Regum mox nostrorum deliciæ, & sedes. Licet

cremata sexies, è suis cineribus toties excitata excrevit ad hanc amplitudinem, quæ pomœriis, & mœnibus quanquam ter amplificatis vix continetur. Illa qualem spectamus urbium principem, & orbis veluti compendium, tot fastigia attollentem terna passim & quaterna ad minus ædificiorum tabulata, immensam planitiem ferè totam occupat. Illam coronant colles, qui orientem versùs recedere ab invicem quasi spontè videntur, & invitare in civitatem, tum benignas solis exorientis auras, tum puras Sequanæ lymphas leniter urbi reginæ allabentes. Illam montes defendunt à ventis vehementioribus, & noxiis, quos vetant nec patiuntur irruere, nisi illisos, obliquo, & fracto impetu. Ad Arcton stat Martyrum Mons, olim dictus Martis, in quem Aquilo immissus magnam partem frangitur; at hinc, & indè circumfusus putredinis causas emendat. Austrum coercet Divæ Genovefæ Mons: Clodoveus verò Favonium, quem Passianus collis etiam, utcumque tenet. Eurus sivè Subsolanus, nihil obstat quominus molli flatu apertos urbis sinus recreet, & noctis nubeculas dispellat. Sapientissimus igitur, quicumque fuerit, Parisinæ civitatis Conditor. Feliciorem situm non optasset ipse Vitruvius. Verumtamen statione tam opportunâ, tam locuplete, frugis omnigenæ penu, unde-nam civium sanitas adeò frequenter periclitatur? Cur loco tam amœno non exulant sexcenta morborum monstra, quæ in uliginosis locis plerumque pullulant? Paralyses, apoplexiæ, cachexiæ, febres putridæ, & catarrhales, stomachi labores, & mille id genus. Nullibi plures rachitis infantes distorquet. Nullibi frequentior fœminarum fluxus albicans. Nullibi sæpius in utroque sexu nervi afflictantur. Quid mirum? Tot camini fumosæ urbis, tot sordes animalium, & artificiorum sufficiunt indesinenter diu & noctu vapores nocivos, quibus ingravescit, & vitiatur aër urbi imminens, qui, si diutius stagnet, non mirum cives eo immersos trahere animam morbidam, patientes mala quæ parit laxitas fibrarum, & serosa colluvies. At quis nescit illam pestem sicco tempore plurimum abigi, & tunc paucissimos ægrotare Parisinos?

II.

NOVISSIMO sæculo, quo studium Physicæ renovatum est; primam circa aërem operam contulêre illi præstantes ingenio viri, quibus sola dux, & magistra in physicis meritò placuit experientia. Eò magis admiranda, quò simpliciora sunt artificia demonstrandæ, imò æstimandæ gravitatis aëreæ; necnon elasticitatis, cujus vim explicare ausi sunt, vel contrahere ad eum quem quisque stupet modum, cum spectat prodigia quæ edit aër maximè condensatus, aut rarefactus. Hippocrati gravitatis & elaterii ignota erant vocabula. At norat vires, cursus ventorum è quatuor mundi cardinibus, & ex intermediis variè afficientes corpora, tum diversam aëris rationem ad urbes montibus sublimes, aut vallibus depressas, aut vicinas paludibus. Uno verbo, difficilè dixeris, quid novi, & magni momenti recentiores adjecerint unius

Hippocratis obſervationibus. Quòd illas ſuis comprobaverint experimentis, hoc uno laudandi recentiores. Novas etiam aliquot adinvenerunt vias quibus vitiatus aër, ſin arcetur penitùs, ſaltem corrigitur. Hìc celebrare juvat ſtudium ſingulare Magiſtratuum, & Ædilium hujus urbis, concurrentibus Medicis, ut aërii fluxus, puriores undæ, viæque patentiores ventoſis ſpiritibus difflentur, ne ſitu torpeat aër; aut in eo paluſtris, cœnoſuſque odor diſſeminetur. Quis non jucundè, & cum grato animi ſenſu recordetur nomen illuſtriſſimi, triginta ab hinc annis, Proprætoris TURGOT, qui, ut navis Pariſinæ ſentinam expurgaret, curavit circumduci Pariſios Cloacam Romanis haud imparem, quotidianis, & novis ſemper aquis abſterſam, ita ut jam ſuâ Mephyti fœda illuvies non inquinet, purgamentum nullibi ſubſideat? Alter noviſſimus * Proprætor rationem ſanitatis eo perduxit, ut irrigationibus æſtivum pulverem compeſceret. Hodiernus verò tantarum virtutum ſucceſſor *, & æmulus, parat fora ampliora, & novum Sequanæ alveum, quo non ſolùm naves onerariæ tutò confugiant hyeme, ſed etiam ſordes rivi de *Bievre* celerius devehantur. Illis nempè ſummis viris id perſuaſum & fixum animo ſedebat, & ſedet, hominum ſortem aëre præſertim contineri, à quo vitæ & ſanitatis, ut interitus, ac morbi inſignes cauſas habemus. Optimè Vitruvius Architectorum princeps, Medicæ cognitionem cum ſuâ arte conſociari amat. Utinam noſtratum Architectorum major pars tantum ſecuta ducem, ſivè in ſitu ædium, ſivè diſpoſitione internâ, præcipuam haberet rationem valetudinis habitantium! aut ſaltem non inconſultis Medicis, ſin domus privatas, at publicas, Templa, Palatia, tot Noſocomia, ac præcipuè urbes reparandas, aut de novo ſtruendas ſtatueret! (*a*) Vir autem Medicus non naturæ ſolùm, ſed artium virtutes & vitia explorat, & perpendit. Tam latè quam patet aër, excurrit ejus ſtudium. Actio aëris triplex, vel extrinſeca, quâ totum corporis habitum premit, vel intrinſeca, quâ pulmones permeat, aut alimentis mixtus invehitur. Calidus autem ſit, an frigidus, ſiccus, an humidus, purus an impurus, gravis an levis, plus nec ne elaſticus, plurimi intereſt. Nobis autem de ſiccitate aëris præcipuè diſſerendum.

* De Bernage.

* De Pontcarré.

III.

AËR levis, fluidus, pellucidus, ſonis, & odoribus permeabilis, utpotè comprimi, & dilatari potens altiſſimo quaſi oceano orbem terræ involvit. Si vulgari ſenſu accipiatur, maximè diſtat ab elementari

(*a*) Cum Salapienſes Appuliæ gens multiplici morborum genere abſumerentur, adierunt Marcum Hoſtilium, deprecantes, ut in locum, magis opportunum, & ſalubrem, quem vellet, ipſis liceret commigrare, & penates transferre. Ille votis annuit, & coemit agros puro aëre, & ridenti cœlo gaudentes: ibi verò, cum ingens lacus ſedes novas contingeret, & ab aquis ſtagnantibus mala plurima timerentur, ductâ ingenti foſsâ, mare in lacum fuit immiſſum, ita ut Salapienſes voti compotes in loco admodum ſalubri, diſtante à priori circiter quatuor millia, floreant, morborum quibus antea obnoxii, jam expertes. Vid. *Vitruvium*.

ſubſtantiâ, etſi complectens partes elementi nomine inſigniendas. Rectè igitur diſtingui poteſt duplex, vulgaris qui heterogeneus, proprius qui elementaris. Prior in quo movemur, & ſumus, & quem ſpiritu trahimus viciſſim, & reddimus, cogitari poteſt cahos univerſale, in quo omnis fermè generis corpuſcula ſimul confuſa conſtituunt aggregatum diverſiſſimis conſtans rebus. * De elementari diſputent Phyſici. Medicus autem totus in exquirendis quæ corpori humano proſunt, & nocent; cum aërem conſiderat, non eum ſecernit ab aquâ, phlogiſto, & ſale quodam cum ipſo conjunctis.] Ubi vapores omnis generis ipſo leviores ſummam atmoſphæram aſcendunt, regio inferior in quâ ſpiramus ſicca nuncupari poteſt. Illa verò ſiccitas juſtè temperata fibris addit eum modum qui laxitatem inter & rigiditatem nimiam intercedit; atque cum ſanitas à debitâ vi tonicâ, & elaſticâ partium, & ab æquâ humorum fluiditate pendeat, aër ſiccus laudandus eſt præſertim in urbe, ubi laxatio fibrarum frequens. Ibi videre eſt animalium, & vegetalium interiora humore nimio diſſolvi. Aqua corporum meatus ſubit, penetrat, & volumen adauget. Hinc fidium chordæ ſi madent, flacceſcunt inertes: idem ferè de animalium fibris, v g. natator multò minùs exercitatione, & motu fibrarum defatigatur, quam partium laxitate. Humidus aër facilius poros permeans elaterium imminuit, hinc atonia, aptus ſcilicet ad contractionem niſus, vel deficit, vel languet. Fluida in partem relaxatam uberius admitti, ſegnius propelli, & minus atteri, ſanguinis circuitum tardari, humores congeri, ſtagnare, corrumpi, ſolida infarctu laborare, canales obſtrui, hinc fœcunda morborum origo. Econtrà ſicco tempore Pariſini plus vigent, liberius exercentur functiones vitales & animales, inſpiratio, expiratio, & ſanguinis circuitus; vaſa nec comprimuntur, nec diſtenduntur nimis, egregiè cibos coquit ventriculus, humores tum excrementitii, tum recrementitii debitâ fermentatione ſecernuntur, ipſorummet ægrotantium organa quæ paulo antè fatiſcebant oſcillationem nativam inſtaurant, vires exerunt, totumque corpus allevatur. Quibus corporis pondus inſolitum, & nocivum in fluidis fermentum morbos portendebat, illi depulſo malo omine ſerenam frontem explicant, adeòque decreſcit ægrotantium numerus, ut nunquam ſit paucior. Demum ſanuſve, æger nemo non aëris hujuſce probitatem agnovit expertus. Sed illa tempeſtas adeò amica, & commendabilis, eadem ſi diuturnior, quare formidoloſa?

* Boerrh. Elem. Chem.

I V.

CALORIS, vel frigoris capax aër ſiccus, præ aliis igne citò rareſcit. Imperceptibilis caloris adauctio ſenſibilem illicò rarefactionem docet. Si calori nimio, & diuturniori conjungitur, exſiccat ſolida, fluidiora abripit, & ſubſtantiæ animantium putredinem inſinuat; pulmonibus imprimis nocet. Ubi enim magis calet aër exterior, neceſſe eſt veſiculas pulmonales adulteret; exhaurit eum humorem beneficum quo ſolvuntur, & attenuantur ſales, exprimit ſudores nimios à fibris quæ iden-

tidem rigeſcunt. Indè ſolidis arentibus vitalis ordo turbatur, abeſt à membris agilitas quam ſyſtoles & diaſtoles vices deſiderant. Avolante quâque parte maximè fluidâ, tenuiſſimâ, ſeu volatili, ſeu ſalinâ, ſubſidit modò in vaſculis, moles terreſtris, craſſa, ſale & oleo agglutinata, undè obſtruitur jecur, languet ventriculus, ſanguis febribus putridis depaſcitur. Hinc morbi ſive acuti, ſive chronici, quos generat bilis craſſior quâ partes oleoſæ, & ſalinæ abundant; hinc nervorum labores, & dolores acutiſſimi; alioquin ille aër ſiccior, & calidior, cum ferè nullo flatu recreetur, & ſtet tanquam iners, vapores animalium, & improbi halitus quorum fœta eſt tanta civitas conglomerati, corruptelæ nova monſtra parturiunt. Facillimè etenim tabeſcunt & depravantur particulæ quæ corporibus emanant. Aqua balnei quo quis ſe immerſit, moleſto demum velut cadaveris fœtore inficitur. Si ter mille homines unum jugeris ſpatium occupent, intra triginta quatuor dies, in aëre exſpatiabitur ad 71 pedes exhalatio indè affluens, quam niſi venti diſcuterent, ſæviret peſtis promptiſſima. Providendum igitur ut urbium viæ quam maximè pateant, non altius conſurgant ædes. Vetandum ne, ut vulgò fit, tot cadavera in templis aut cemeteriis inhumentur. Videatis velim hanc ſpectaculorum frequentiam: unius horæ ſpatio, aër corporum halitu totus fœtet: pulmones hauriunt aëra corruptiſſimum (quem conſpirant tot pectora) gravem corpuſculis quibuſlibet impuris plerumque, & malè olentibus. Non verbum addam de Noſocomiis, quanto melius ſe haberent in campis apertis.

Nullum datur in naturâ corpus, cujus moles magis contrahitur à frigore, quam aër. Cæterùm maximam diſtantiam, quam Boyleus invenit rariſſimum inter, denſiſſimumque definivit eſſe, ut 1. ad 52000°. poſt frigus caloremque ſummum maner tamen illibata elaſticitas. Crederes aëra creatum eſſe elementum tale, quod immutabili elaterio, mobilitateque ſemper viget, & operatur in omnia, & per omnia, quaſi in ſuo genere ebulliens, ſubſiliens, omnia agitans. Aër ſiccus diuturniori, & nimio frigori conſociatus fibras contrahit, quantùm penetrat, quod oſtendit animalium volumen calore ampliatum, & imminutum frigore. Hoccè frigus agit inſtar aculei. 1°. Subeſt pruritus, dein leviſculus inflammationis ardor irritatione, de contractione fibrarum accenſus, vividior certè, & frequentior in pulmonibus, quorum calidior ſanguis & membranulæ tenuiores, & frigus quod illos ſubit intolerandum foret, ſi calor expiratione totus ejiceretur. Præpeditur frigore perſpiratio, multimodi ſales, & partes craſſæ emigrare ſolitæ conſtringuntur, & glomeratim concreſcunt. Quàm multiplex indè morborum lues, in tunicis thoracum delicatulis, tuſſis malè pertinax, catarrhi quos ſæpius febris comitatur, anginæ, peripneumoniæ, diarrheæ, deniquè ſcorbutum, quod malum in regionibus gelidis, vg. Groëlandia debacchatur. Uſu tamen & experientiâ compertum eſt aërem plus æquò ſiccum, & calidum multò magis nocere quam ſiccitatem nimio frigori conjunctam.

V.

ANNIS 1575 & 1577, æſtas Pariſiis ſicca admodum, & ſqualida fuit. Annis autem 1571 & 1573, hyems furebat algidiſſima, & maximè diuturna. Quæ tempeſtates, obſervante celeb. *Ballonio* noſtro *, morborum fuerunt feraciſſimæ. Ex obſervationibus Clar. *M. Malouin*, ** anno 1754, poſt hyemem rigidiſſimam ad diuturnam prægreſſam æſtatem verò & ſicciſſimam pariterque diuturnam magna morborum cohors incubuit Pariſiis. Anno 1762, æſtatis aër fuit apricus, & ſicciſſimus. Menſe Maio & Junio vix ulla cadit pluvia, per Julium menſem nulla; Mercurius in baroſcopio ſublimem retinebat ſtationem. Exanthemata, (obſervante actus Præſide Clariſſ.) omnigena comparebant, variolæ mali moris, quæ plurimos jugularunt, morbilli, cutaneæ eruptiones ſine febre cum pruritu intolerabili. Retorrida tempeſtas magnam cerebri & nervorum imbecillitatem parit; delirium ſat frequens in paroxiſmis febrium intermittentium; in febribus acutis ferè perpetuum (*a*). Multos invaſère affectus nervoſi inſultum apoplecticum mentientes; diarrheæ frequentes acres, bilioſæ, dyſenteriæ cruentæ. Febres bilioſæ, malignæ, tertianæ Autumnales ſub Junii menſis finem caput extulerunt. Non tutò curabantur abſque venæ ſectione: ſanguis enim æquè viſcidus ex febribus intermittentibus, colicis dyſentericis, ac ex pleuriticis. Mala recenſita præcavebantur diætâ ſiccæ & ſqualidæ tempeſtati contrariâ inſtitutâ; nempe victu molli, humido ex oleribus, cichoraceis

* Vide Ballonii Opera, Epidem. Tom. 1°.

** Vide *Mémoires de l'Acad. des Scienc. an. 1754.*

(*a*) Menſe Septembri ineunte, formoſa puella, ſuprà 20 annos nata variolis diſcretis & boni moris corripitur. Ebullitionis tempore, non ſecta vena fuit, nec vomitorio, at purgante medicamento ſurſum deorſumve corpus verſum, parentibus obſtinatè reluctantibus; quod pejus! Ptiſanna ex ſcorſonerâ ubertim propinabatur, vino dividente mixta, & ſubinde cochlearia decocti cinnamomi ex vino cum ſaccharo. Profuſiſſimi erumpebant ſudores. Quinto ab eruptione die, de nocte accerſitur Medicus *. Clamabat ægrotans ſe interno uri incendio. Febris vehemens erat, oculi flagrantes, facies intensè rubra, jactatio irrequieta, delirium phreneticum imminens; puſtulæ ſiccæ, duræ, depreſſæ. Illicò emulſiones ex Codice Pariſino præſcribuntur; ſaphena tunditur. Duabus poſt horis, denuò aperta vena, ex voto ægrotantis vehementiſſimo, abſente Medico, Chirurgo fruſtra reluctante. Animo linquitur ægrotans. Redit Medicus, pacatiora videt omnia; ſed pulſus erat debilis, facies pallida. Potio emetico-cardiaca exhibetur, felici cum ſucceſſu: ſerò veſicatoria tibiis imponuntnr. Nox ſequens ad mediam partem quietior. Sexto die recrudeſcit delirium phreneticum; vena rurſus ſecatur in pede; horis ſerotinis in jugulo. Abundè propinantur emulſiones; ægra tamen delirat, furit, Ἐμμανη. Puſtulæ internæ molleſcunt, turgent, ſuppurant, ac tandem exſiccantur. Diceres ambos decumbere ægrotantes, quorum alter variolis benignis laboraret, alter phrenitide pertinaciſſimâ. Nono die pergebat delirium: exſiccatis penè puſtulis, balneum vix calidum jubetur, quod maniæ impetum fregit; bis iterùm eodem die repetitum, ac per 20 dies ad minùs ſemel continuatum ex aquâ frigidâ. Senſim ad ſe redit ægrotans, & perfectè intrà menſem convaleſcit, corpore & mente ſana.

* Celeb. *M. Moriſot Deſlandes*, actus Præſes, qui in conſilium vocaverat Clariſ. & Vigil. Decanum *M. Belleteſte.*

Poſt æſtatem anni 1754 calidiſſimam & ſicciſſimam, Cl. *M. Malouin*, inſanias frequentes obſervabat. *V. M. de l'Acad. des Scien.* ann. 1754.

præsertim potatione, & aliis ejusdem familiæ, cerevisiæ, aut aquæ acido limonum succo, & oleo essentiali amaro corticis citreorum imprægnatæ; frigidæ balneum optimum quoque prophylacticum, iis præsertim qui syste· matis nervosi imbecillitate laborant. Interposita ad biliosam colluviem eccoproctica multis profuerunt. Ejusdem anni medio Decembri, aër fuit frigidus valdè. Magna barometri elevatio; venti spiraverunt Aquilonares, & ad Februarii initium dominati sunt usque perdurante rigidissimo gelu; ita ut post hominum memoriam altius nunquam, ac diutius Sequanæ flumen constrictum gelu. Ineunte frigore, graves & pertinaces arthritidis sæviunt paroxismi, rheumatismi, dolores artuum intolerabiles, cum stupore, & motûs impotentiâ conjuncti. Passim tussis grassatur implacabilis, & pertinaciter cum parciore, & laboriosâ admodum materiæ viscidæ exscreatione; post febrim adactam, perdurans, tabem, nî caveatur minitans. Variolis pauciores laborant, & cum minori periculo; morbillis verò plures ad erysipelatis naturam accedentibus: iis correpti contrectari nequeunt, quin doleant vehementer; adeò dolorifica cutis quæ tota desquamatur. Sub Februarii initium Austro afflante, soluto de repentè aëris elatere; alvi profusiones quam plurimos, cùm torminibus, dysenteriæ albidæ nonnullos vexavêre. Mirum quot senes confertim, & subitò extinguantur! Quot pueros tusses ferinæ, clangosæ divexant! Quot demum cujusque ætatis homines febris catharralis putrida infestat! Quibus robustum sivè ex naturâ, sive ex vivendi genere obtigit temperamentum, ad prophylaxim profuit potus nonnihil spirituosus horis matutinis, antequam domibus prodirent, sive equo, sive pedibus variis obeundis muniis eundum sit, calidissimis interea vestibus cincti, atque post cœnam levem longior somnus: senes verò, imbecilles omnes, quibus debilis præsertim pulmo, non alio modo aëris inclementiam vincebant, quam si domi sese continerent, perpetuò aërem spirantes calidum, non ex hypaucausto, debilibus pestifero, sed ex foco camini luculento. Præsidio quoque, & munimento corporis fuerunt ad ignem frictiones, potus tepidus ex infusis foliis, & floribus diureticis, & victus mollis, humidus, qui laxam teneret alvum. Tempestatis demum insalubris mala vitarunt, qui statim à cessanre gelu tenuiorem observarunt victûs rationem, & humores per hyemem congestos lenibus purgantibus expulerunt. Igitur tot ex Physicis, Physiologicis, Pathologicis desumpta argumenta, sanitas, morbi, mala ex cautelis neglectis, ex adhibitis sumpta bona datum problema solvunt. Undè ratione & experientia innixi audacter concludimus.

Ergò siccitas aëris Parisini salubris, si diuturnior insalubris.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS THIERRY DE BUSSY, Tullensis; Doctor Medicus Rhemensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1763. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.